

# LAMENTATIONES



# Contents



# LAMENTATIONES

1 Prologus Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israël, et Jerusalem deserta est, sedit Jeremias propheta flens, et planxit lamentatione hac in Jerusalem: et amaro animo suspirans et ejulans, dixit: [Aleph Quomodo sedet sola civitas plena populo ! Facta est quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum facta est sub tributo. <sup>2</sup> Beth Plorans ploravit in nocte, et lacrimæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus; omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. <sup>3</sup> Ghimel Migravit Judas propter afflictionem, et multitudinem servitutis; habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. <sup>4</sup> Daleth Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes ejus gementes; virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine. <sup>5</sup> He Facti sunt hostes ejus in capite; inimici ejus locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus. Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. <sup>6</sup> Vau Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus; facti sunt principes ejus velut arietes non inveniendes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. <sup>7</sup> Zain Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ, et prævaricationis, omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator: viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus. <sup>8</sup> Heth Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est; omnes qui glorificabant eam spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus: ipsa autem gemens conversa est retrorsum. <sup>9</sup> Teth Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui; deposita est vehementer, non habens consolatorem. Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. <sup>10</sup> Jod Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam. <sup>11</sup> Caph Omnis populus ejus gemens, et quærens panem; dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide, Domine, et considera quoniam facta sum vilis ! <sup>12</sup> Lamed O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus ! quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus, in die iræ furoris sui. <sup>13</sup> Mem De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum; posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. <sup>14</sup> Nun Vigilavit jugum iniquitatum mearum; in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo. Infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere. <sup>15</sup> Samech Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei; vocavit adversum me tempus ut contereret electos meos. Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda. <sup>16</sup> Ain Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam. Facti sunt filii mei perditii, quoniam invaluit inimicus. <sup>17</sup> Phe Expandit Sion manus suas; non est qui consoletur eam. Mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes

ejus; facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos. <sup>18</sup> Sade Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. Audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum: virgines meæ et juvenes mei abierunt in captivitatem. <sup>19</sup> Coph Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me; sacerdotes mei et senes mei in urbe consumpti sunt, quia quæsierunt cibum sibi ut refocillarent animam suam. <sup>20</sup> Res Vide, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Foris interfecit gladius, et domi mors similis est. <sup>21</sup> Sin Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me; omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, et fient similes mei. <sup>22</sup> Thau Ingrediatur omne malum eorum coram te: et vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens.]

2[Aleph Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion; projecit de cælo in terram inclytam Israël, et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui ! <sup>2</sup> Beth Præcipitavit Dominus, nec pepercit omnia speciosa Jacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, et dejecit in terram; polluit regnum et principes ejus. <sup>3</sup> Ghimel Confregit in ira furoris sui omne cornu Israël; avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici, et succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro. <sup>4</sup> Daleth Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis, et occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion; effudit quasi ignem indignationem suam. <sup>5</sup> He Factus est Dominus velut inimicus, præcipitavit Israël: præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus, et replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam. <sup>6</sup> Vau Et dissipavit quasi hortum tentorium suum; demolitus est tabernaculum suum. Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum; et in opprobrium, et in indignationem furoris sui, regem et sacerdotem. <sup>7</sup> Zain Repulit Dominus altare suum; maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manu inimici muros turrium ejus. Vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemnium. <sup>8</sup> Heth Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion; tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione: luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est. <sup>9</sup> Teth Defixæ sunt in terra portæ ejus, perdidit et contrivit vectes ejus; regem ejus et principes ejus in gentibus: non est lex, et prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino. <sup>10</sup> Jod Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion; consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis: abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem. <sup>11</sup> Caph Defecerunt præ lacrimis oculi mei, conturbata sunt viscera mea; effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi. <sup>12</sup> Lamed Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. <sup>13</sup> Mem Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, et consolabor te, virgo, filia Sion? magna est enim velut mare contritio

tua: quis medebitur tui? <sup>14</sup> Nun Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta; nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent; viderunt autem tibi assumptiones falsas, et ejectiones. <sup>15</sup> Samech Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? <sup>16</sup> Phe Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus: en ista est dies quam expectabamus, invenimus, vidimus. <sup>17</sup> Ain Fecit Dominus quæ cogitavit; complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. <sup>18</sup> Sade Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: Deduc quasi torrentem lacrimas per diem et noctem; non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. <sup>19</sup> Coph Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum. <sup>20</sup> Res Vide, Domine, et considera quem vindemiaveris ita. Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et propheta? <sup>21</sup> Sin Jacuerunt in terra foris puer et senex; virgines meæ et juvenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui, percussisti, nec misertus es. <sup>22</sup> Thau Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circuitu; et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur: quos educavi et enutrivì, inimicus meus consumpsit eos.]

3[Aleph Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. <sup>2</sup> Aleph Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem. <sup>3</sup> Aleph Tantum in me vertit et convertit manum suam tota die. <sup>4</sup> Beth Vetustam fecit pellem meam et carnem meam; contrivit ossa mea. <sup>5</sup> Beth Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore. <sup>6</sup> Beth In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos. <sup>7</sup> Ghimel Circumædificavit adversum me, ut non egrediar; aggravavit compedem meum. <sup>8</sup> Ghimel Sed et cum clamavero, et rogavero, exclusit orationem meam. <sup>9</sup> Ghimel Conclusit vias meas lapidibus quadris; semitas meas subvertit. <sup>10</sup> Daleth Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis. <sup>11</sup> Daleth Semitas meas subvertit, et confregit me; posuit me desolatam. <sup>12</sup> Daleth Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. <sup>13</sup> He Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. <sup>14</sup> He Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. <sup>15</sup> He Replevit me amaritudinibus; inebriavit me absinthio. <sup>16</sup> Vau Et fregit ad numerum dentes meos; cibavit me cinere. <sup>17</sup> Vau Et repulsa est a pace anima mea; oblitus sum bonorum. <sup>18</sup> Vau Et dixi: Perii finis meus, et spes mea a Domino. <sup>19</sup> Zain Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absinthii et fellis. <sup>20</sup> Zain Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. <sup>21</sup> Zain Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo. <sup>22</sup> Heth Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti; quia non defecerunt miserationes ejus. <sup>23</sup> Heth Novi diluculo, multa est fides tua. <sup>24</sup> Heth Pars mea Dominus, dixit anima

mea; propterea exspectabo eum. <sup>25</sup> Teth Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. <sup>26</sup> Teth Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. <sup>27</sup> Teth Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. <sup>28</sup> Jod Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se. <sup>29</sup> Jod Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. <sup>30</sup> Jod Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis. <sup>31</sup> Caph Quia non repellet in sempiternum Dominus. <sup>32</sup> Caph Quia si abjecit, et miserebitur, secundum multitudinem misericordiarum suarum. <sup>33</sup> Caph Non enim humiliavit ex corde suo et abjecit filios hominum. <sup>34</sup> Lamed Ut conteret sub pedibus suis omnes vinctos terræ. <sup>35</sup> Lamed Ut declinaret iudicium viri in conspectu vultus Altissimi. <sup>36</sup> Lamed Ut perverteret hominem in iudicio suo; Dominus ignoravit. <sup>37</sup> Mem Quis est iste qui dixit ut fieret, Domino non jubente? <sup>38</sup> Mem Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona? <sup>39</sup> Mem Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? <sup>40</sup> Nun Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. <sup>41</sup> Nun Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos. <sup>42</sup> Nun Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus; idcirco tu inexorabilis es. <sup>43</sup> Samech Operuisti in furore, et percussisti nos; occidisti, nec pepercisti. <sup>44</sup> Samech Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. <sup>45</sup> Samech Eradicationem et abjectionem posuisti me in medio populorum. <sup>46</sup> Phe Aperuerunt super nos os suum omnes inimici. <sup>47</sup> Phe Formido et laqueus facta est nobis vaticinatio, et contritio. <sup>48</sup> Phe Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei. <sup>49</sup> Ain Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies. <sup>50</sup> Ain Donec respiceret et videret Dominus de cælis. <sup>51</sup> Ain Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. <sup>52</sup> Sade Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. <sup>53</sup> Sade Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. <sup>54</sup> Sade Inundaverunt aquæ super caput meum; dixi: Perii. <sup>55</sup> Coph Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo. <sup>56</sup> Coph Vocem meam audisti; ne avertas aurem tuam a singultu meo et clamoribus. <sup>57</sup> Coph Appropinquasti in die quando invocavi te; dixisti: Ne timeas. <sup>58</sup> Res Judicasti, Domine, causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. <sup>59</sup> Res Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me: judica iudicium meum. <sup>60</sup> Res Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me. <sup>61</sup> Sin Audisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me. <sup>62</sup> Sin Labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die. <sup>63</sup> Sin Sessionem eorum et resurrectionem eorum vide; ego sum psalmus eorum. <sup>64</sup> Thau Redes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum. <sup>65</sup> Thau Dabis eis scutum cordis, laborem tuum. <sup>66</sup> Thau Persequeris in furore, et conteres eos sub cælis, Domine.]

4[Aleph Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus ! dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum ! <sup>2</sup> Beth Filii Sion inclyti, et amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli ! <sup>3</sup> Ghimel Sed et lamie nudaverunt mammam, lactaverunt



catulos suos: filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto. <sup>4</sup> Daleth Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti; parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. <sup>5</sup> He Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercore. <sup>6</sup> Vau Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus. <sup>7</sup> Zain Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. <sup>8</sup> Heth Denigrata est super carbones facies eorum et non sunt cogniti in plateis; adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, et facta est quasi lignum. <sup>9</sup> Teth Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terræ. <sup>10</sup> Jod Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos; facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. <sup>11</sup> Caph Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: et succendit ignem in Sion, et devoravit fundamenta ejus. <sup>12</sup> Lamed Non crediderunt reges terræ, et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Jerusalem. <sup>13</sup> Mem Propter peccata prophetarum ejus, et iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum. <sup>14</sup> Nun Erraverunt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine; cumque non possent, tenuerunt lacinias suas. <sup>15</sup> Samech Recedite polluti, clamaverunt eis; recedite, abite, nolite tangere: jurgati quippe sunt, et commoti dixerunt inter gentes: Non addet ultra ut habitet in eis. <sup>16</sup> Phe Facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos; facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt. <sup>17</sup> Ain Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum; cum respiceremus attenti ad gentem quæ salvare non poterat. <sup>18</sup> Sade Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum; appropinquavit finis noster, completi sunt dies nostri, quia venit finis noster. <sup>19</sup> Coph Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli; super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. <sup>20</sup> Res Spiritus oris nostri, christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus. <sup>21</sup> Sin Gaude et lætare, filia Edom, quæ habitas in terra Hus ! ad te quoque perveniet calix: inebriaberis, atque nudaberis. <sup>22</sup> Thau Completa est iniquitas tua, filia Sion: non addet ultra ut transmigret te. Visitavit iniquitatem tuam, filia Edom; discooperuit peccata tua.]

5[Recordare, Domine, quid acciderit nobis; intueri et respice opprobrium nostrum. <sup>2</sup> Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. <sup>3</sup> Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. <sup>4</sup> Aquam nostram pecunia bibimus; ligna nostra pretio comparavimus. <sup>5</sup> Cervicibus nostris minabamur, lassus non dabatur requies. <sup>6</sup> Ægypto dedimus manum et Assyrii, ut saturaremur pane. <sup>7</sup> Patres nostri peccaverunt, et non sunt: et nos iniquitates eorum portavimus. <sup>8</sup> Servi dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum. <sup>9</sup> In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto. <sup>10</sup> Pellis nostra quasi clibanus exusta est, a facie tempestatum famis. <sup>11</sup> Mulieres in Sion

humiliaverunt, et virgines in civitatibus Juda. <sup>12</sup> Principes manu suspensi sunt; facies senum non erubuerunt. <sup>13</sup> Adolescentibus impudice abusi sunt, et pueri in ligno corruerunt. <sup>14</sup> Senes defecerunt de portis, juvenes de choro psallentium. <sup>15</sup> Defecit gaudium cordis nostri; versus est in luctum chorus noster. <sup>16</sup> Cecidit corona capitis nostri: vae nobis, quia peccavimus ! <sup>17</sup> Propterea moestum factum est cor nostrum; ideo contenebrati sunt oculi nostri, <sup>18</sup> propter montem Sion quia desperiit; vulpes ambulaverunt in eo. <sup>19</sup> Tu autem, Domine, in aeternum permanebis, solium tuum in generationem et generationem. <sup>20</sup> Quare in perpetuum oblivisceris nostri, derelinques nos in longitudine dierum? <sup>21</sup> Converte nos, Domine, ad te, et convertemur; innova dies nostros, sicut a principio. <sup>22</sup> Sed projiciens repulisti nos: iratus es contra nos vehementer.]